



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Synopsis Magnalium Divi Iosephi**

**Ignatius <a Sancto Francisco>**

**Leodii, 1684**

Sect. 2. Præsertur secunda sententia asserens è contra D. Matthæum  
carnalem, Lucam verò legalem D. Iosephi, & consequenter Christi  
genealogiam attexere.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38500**

SECTIO II.

*Præfertur secunda sententia asserens e contra D. Matthæum carnalem, Lucam verò legalem D. Iosephi, & consequenter Christi Genealogiam attexere.*

XI. **V**Ltima hæc est communissima, certissima & antiquissima sententia est, & ideò omninò retinenda, quod scilicet D. Iosephus duos habuerit Patres, unum naturalem scilicet Iacob à quo genitus est, per quem Matthæus naturalem ejus Genealogiam ab Abrahâ ad Davidem, & à Davide Rege directè deduxit usque ad ipsum; Alterum legalem, scilicet Heli, per quem Lucas ipsius legalem usque ad ipsum Deum reduxit originem.

XII. Probatur primò hæc opinio ab auctoritate Sanctorum Patrum, qui omnes quotquot hanc materiam attigerunt ab exordio Ecclesiæ hanc viâ hanc difficultatè enodarunt. Ita D. Iustinus Martyr in Quæstionib. ad Orthodoxos quæst. 66. & in Quæstion. ad Gentes quæst. 131. & 133. Iulius Africanus epist. ad Aristid. apud Euseb. lib. 1. hist. Eccle. cap. 6. qui Eusebius est etiam hujus sententiæ. Tertullianus lib. contra Iudæos. Origenes in Matth. Gregorius Nazianz. Carm. de Christi Geneal. D. Hilarius in Matth. can. 1. Divus Ambrosius lib. 3. in Lucam cap. 3. D. Hieronymus lib. de Script. Eccles. in Julio Africano ubi huius opinionem approbat, & in Matth. c. 1. D. Augustinus passim maximè lib. 2. Retract. cap. 7. & 12. lib. 2. Quæst. Evang. quæst 5. lib. sermon. de diversis, serm 62. cap. 19. Author Quæst. novi & veteris Testamenti apud eundè Augustinum quæst. 56. Eucherius in Quæst. in novum Testamentum. quæst 3. in Matth. Nicephor. lib. 1. hist. tripart. cap. 11. D. Damascenus lib. 4. de fide orthod. cap. 15. & Orat. 3. de Nativit. Beatæ Virg. D. Anselmus, Beda, Euthymius, Theophilaetus, Dionysius Carthusianus, D. Bonaventura, Nicolaus Lyra in Luc. cap. 3. D. Tho-

mas 3. part. quæst. 37. ad 2. & in cap. 3. Luc. quos præeuntes sequuti sunt magni nominis Doctores & Interpretes Hugo Cardinalis, Cajetanus, Salmeron, Toletus, Maldonatus in cap. 3. Lucæ, Vasquez tom. 2. ad 3. part. D. Thomæ disp. 127. cap. 4. Et ex nostris Guido Perpinianus in Evang. ad illud qui fuit Heli, Luc. cap. 3. Thomas Beauxamis tomo 1. in Evang. ad illud Matth. c. 1. *David autem Rex genuit Salomonem ex eâ qua fuit Virg.* Syveira tomo 1. in Evang. lib. 1. cap. 2. quæst 44. & Hieronymus Gratianus lib. 1. de S. Iosepho cap. 1.

Probatio hujus asseriti videtur evidētissima, suppositâ Deuteronomii lege cap. 25. de suscitando per fratrem superstitem semine fratri sine liberis defuncto in ipsius defuncti conjuge. Cujus legis hæc sunt verba. *Quando habitaverint fratres simul, & unus ex eîs absque liberis mortuus fuerit, uxor defuncti non nubet alteri, sed accipiet eam frater ejus, & suscitabit semen fratris sui, & primogenitum ex eâ filium nomine ejus appellabit, ut non deleatur nomen ejus de Israel.* Cum enim hæc Lex esset propria ac particularis Judæorum, ex quibus D. Iosephus, habeamus quæ in illis Matthæi verbis cap. 1. *Jacob autem genuit Ioseph virum Maria, &c.* Patrem ejus naturalem à quo genitus est, perfectò non alius modus quærendus est, quomodo Heli fuerit etiam Pater ejusdem D. Iosephi, ut asserit Lucas cap. 3. quàm ille Deuteronomii cap. 25. quæ erat proprius & particularis Judæorum, maximè cum illi soli duo modi faciant ad Genealogiam, ut monuimus supra.

Quod autem Matthæus carnalem D. Iosephi, & consequenter Beatæ Virginis Uxoribus suæ & Christi Domini ex eâ solâ nati Genealogiam prosequatur, nihil clariùs: sive enim exordium Genealogiæ ipsius, sive progressum, sive exitum, sive modum loquendi perpendas, omnia sonant generationem carnalem, non ita apud Lucam, ut mirandum sit Possinum & Boilandum contradixisse.

Nam primò exorditur Matthæus suam Genealogiam per solemnem illam propositionem, *Liber Generationis*

H IESU

Synopsis

Magnabit  
D.  
Iosephi  
RV  
178

*IESU-Christi filii David, &c.* quibus verbis quis aliud intelligat quàm generationem propriè dictam, quæ omnium sensu non alia est quàm carnalis? & idèd non dicit Matthæus liber genealogiæ, quo nomine etiam processio per viam legalis substitutionis intelligi potuisset, sed liber generationis.

XVI. Hanc deinde idem Evangelista non aliter expandit quàm per Progenitores ex se invicem carnaliter procreatos, incipiendo ab Abraham, & progrediendo usque ad David, ac deinde à Davide pergens eodem pede per lineam Salomonis perducendo usque ad Ioseph, ex quo quia non erat Iesus ut Ioseph ex Iacob, & cæteri ex aliis supra recensitis, & tamen ipse recensitus quasi Pater ejus, quia Matri ejus ex quâ solâ natus est vero conjugio copulatus, idèd mutans stylum concludit Genealogiam, non dicens eum genuisse **JESUM**, sed vocans Virum Mariæ de quâ natus est Iesus. Sicque cum Genealogia carnalis utriusque, idest Iosephi & Mariæ, esset eadem ob rationem allatam supra cap. 3. rectâ tendens in Iosephum pervenit ad **JESUM** ex Mariâ natum.

XVII. Tandem Matthæus quasi recapitulans & explicans suam Genealogiam, subjungit. *Omnès itaque generationes ab Abraham usque ad David Generationes quatuordecim, & à David usque ad transmigrationem Babylonis Generationes quatuordecim, & à transmigratione Babylonis usque ad Christum Generationes quatuordecim.* Ubi vides involvi generationem Christi & Iosephi cum aliis. Cum ergò aliæ sint carnales, ergò & hæc Christi, non tamen ea quæ est Christi per Patrem carnalem ut aliæ, sed sic erat, inquit, *cum esset desponsata Mater IESU Maria Ioseph antequam convenirent inventa est in utero habens de Spiritu Sancto*, ac propterea ex illâ solâ carnaliter, Iosepho tamen cui desponsata conceptus & natus. Quo quid clarius dici potuisset non video.

XVIII. Denique idipsum etiam observat Iulius Africanus in epistolâ citatâ infra exhibendâ ex Eusebio, ex modo loquendi Evangelistæ. Idem etiam Divus Augustinus libr. 2. de consensu

Evangelist. cap. 3. cuius hæc sunt verba. *Quem probabilius, inquit, intelligimus adoptantis (intellige ex lege præfatâ Deuteronomii cap. 25. ut idem Sanctus Doctor se explicâs dicit lib. 2. Retract. cap. 12.) originem tenuisse, quàm eum qui noluit Ioseph genitum ab illo cuius eum filium esse narrabat? Commodius enim filius ejus dictus est à quo fuerat sic adoptatus, quàm diceretur ab illo genitus, cuius carne non erat natus. Matthæus autem dicens, Abraham genuit Isaac, Isaac genuit Iacob, atque ita in hoc verbo quod est genuit perseverans donec in ultimo loco diceret, Iacob autem genuit Ioseph, satis expressit ad eum Patrem se perduxisse originem generantium à quo Ioseph non adoptatus, sed genitus erat.*

Et licet idem Augustinus ibidem subjungat quod licet Lucas sicut Matthæus verbo *genuit* usus fuisset, adhuc nihilominus possent conciliari dicendo unum naturâ genuisse, alterum charitate, quod est adoptare; continuo tamen addit Augustus Doctor. *Sed planè si hoc verbo etiam Lucas uteretur omnimodo esset ambiguum quis eorum adoptantem, quis ex propriâ carne genitum Patrem commemorasset. Nunc vero cum alter dicit Iacob genuit Ioseph, alter Ioseph qui fuit Heli, etiam ipsa verborum differentiâ, quid singuli suscepissent eleganter intimarunt.*

Habet ergò hæc sententia hoc supra præcedentem, quod verba Scripturæ à proprio sensu non detorqueat, quod fieri non est patiendum, nisi aliqua necessitas urgeat, quæ hic non est, ut ex dicendis constabit, atque adèd ex hoc solo capite, præcedenti præferenda, ac deinde cæteris, quod magis conformis usibus Gentis Iudæorum, cum interim incommoda omnia quæ contra ipsam adduci possent nullo negotio vitet.

Refert ergo D. Matthæus verum & carnalem Christi ex Abrahamo & Davide descensum referens ipsum Divi Iosephi; quandoquidem Mater ejus ei ut de cognatione suâ per Patrem suum Ioachimum ita propinquo ut de hoc nullum esset dubium tanquam hæres unica Parentum ex lege Numeror. cap. ultimo nupissit: Lucas verò legalem solum, & solius Divi Iosephi,

Iosephi, quam tamen merito prosequitur, quia cum esset Iesus Filius Iosephi longè strictius quam ipse Ioseph erat Filius Heli, ut probabimus infra part. 2. tract. 2. & propterea omni jure hæres D. Iosephi, cujus Pater Legalis Heli recto ordine à Davide descendebat per Nathan, ad cujus posteros propter peccata Salomonidarum translatum erat jus ad Regnū Davidis, necessaria fuit ut pateret per illam quod jus ad istud Regnum ad Iosephum devolutum pervenerit ad IESUM, sic ut præfertur Filium suum: ac consequenter si vera esset opinio Patrum Possini & Bollandi, quod Lucas carnalem Christi Domini Genealogiam prosequutus fuisset, cum ex iisdem Patribus Possino & Bollandi Regnum æquè ac Messias translatus fuerit ad lineam Nathan, quam sequitur Lucas, inutilis prorsus ac vana fuisset respectu Christi Genealogia Matthæi, qui tamen conceptis verbis se proficitur Christi Genealogiam scribere: quæ omnia cum clarissima sint, nihil autem absurdius hæc sequela, necessariò ex asserta opinione Patrum Possini & Bollandi inferendâ, eluitur macula ab eisdem injustè aspersa Julio Africano à nobis infra defendendo, & temeritas quam tanto Sanctorum Patrum ac Doctorum, qui illum utpote omnium antiquissimum sequuntur numero, affricant, in eos redit, nescio an ullâ ratione emulanda.

XXII. Ad rationes verò eorundem Possini & Bollandi quæ in comparatione eorum quæ faciunt pro nostrâ, nimis sunt imbecilles: Respondeo ad primam, quod Matthæus scripsit Evangelium suum Hebraicè, quia Hebræus erat, sicut Lucas Græcè, quia erat Græcus. Non idèò tamen amplius Matthæus scripsit Hebræis; aut Lucas Græcis; Hebraicè aut Græcè scribendo quam aliis, non enim Deus Hebræorum aut Græcorum solum, sed omnium, dives in omnes qui invocant illum.

XXIII. Quoad illa quæ Possinus & Bollandus effantur pro suâ sententiâ capite præcedenti num. 4. verba sunt mera: Nec enim necesse est ut dicere possimus Lucam prosequi seriem D. Iosephi legalem, negare omnes ab Heli utquo

ad Adam sursum ascendentes fuisse ex invicem carnaliter genitos, & consequenter quod ad Obedum perveniens debuisset mutasse ordinem, & relicto Boozo ejusdem Obedi Patre carnali referre legalem, qui fuit Mahallon, quandoquidem Matthæus (quem Possinus & Bollandus volunt prosequi legalem seriem) perveniens ad eundem Obedum non retulerit etiam Mahallonem Patrem ejus legalem, sed Boozum carnalem, nec perveniens ad Pharez & Zaram retulerit Her & Onam eorum quoque Patres legales, Genes. cap. 38. sed etiam prosecutus est per Judam Patrem eorum carnalem: & retorquendum venit, quod ibi uterque subnectit contra nos, scilicet quod Obed ex eo conjugio prognatus Mahalloni, similiter Pharez & Zaram Heri & Onamo secundum legem imputandi fuissent à Matthæo, nisi naturæ ordinem tenuisset Matthæus, & tam verè Iosephum filium Jacob dicere voluisset, quam verè Obed erat Boozii, Pharezque & Zaram Judæ, quamvis primus idest Obed legaliter filius Mahallonis, duo alii Heris & Onami.

Sed vide quò præcipitur Possinus & Bollandus, qui ut non vulgarem in hæc materiâ de novo cudant opinionem, verba illa Matthæi *Achaz autem genuit Ezechiam*, consequenter & conformiter ad illud lib. 4 Regum cap. 16. num. ultimo & cap. 18. num. 1. & 2. Paralipomen. cap. 28. num. ultimo. Ubi disertis verbis dicitur Ezechias filius Achaz, ita interpretantur, ut non aliud significent quam Ezechiam successisse Achazo in Regnum. Quis unquam tam ineptam adhuc audivit metaphoram? Quis crediderit aliquem ab alio nec immediatè nec mediatè genitum, imò nec per legalem substitutionem acquisitum, dicendum à quantumvis stupido illius filium, imò ab eo genitum, ex hoc præcisè quod ei, successore ex se genito carenti, in bonis successerit etiam titulo contanguinitatis.

Longius adhuc abripiuntur iidem viri aliàs magni, dum ut istam suam opinionem statuunt, Achazo non nisi unum filium fuisse affirmant, quem nec Ezechiam putaremus, ab eo per sacri-

Ha legunt

Synopsis

Magnificè  
D.  
Iosephi  
RV  
an

legum furorem in honorem Idoli Moloch holocausto consumptum fuisse asserunt, ut proinde Achazo sine liberis facto, non potuerit Ezechias aliter ei in Regno successisse, quam per legalem successione uti propinquum.

**XXVI.** Verum quomodo ista dixisse potuerint non video, cum contrarium appareat evidentissimè in Scripturâ. Nam primò lib. 2. Paralip. cap. 28. vers. 3. dicitur de Achaz, quod *adolevit incensum in valle Benennon, & lustravit filios suos in igne juxta ritum Gentium.* Ex quo videmus non unum, sed plures filios habuisse, nec illos in igne consumpsisse, sed lustrasse quod longè aliud est: Ammonitarum, quorum ritum hic imitatur Achaz ille impius, & Hebræi ex lege, dupliciter filios suos consueverant consecrare Idolo Moloch: Primo, eos igne comburendo: Secundò, lustrando, seu traducendo eos per ignem, tum ut eos sic expiant à peccatis & immunditiis, tum ut hoc ritu eos Idolo isti initiarent & dedicarent. Ritus describit Theodoretus his verbis *Vidi, inquit, in aliquibus Civitatibus semel in anno accendi rogos, & trans eos saltare aliquos non solum pueros, sed etiam viros: infantes autem per flammam ferri à matribus. Videbatur autem istud quedam esse expiatio & purgatio. Existimo autem hoc quoque fuisse Achazi peccatum.* Vide Cornel. à Lapide in 4. Reg. cap. 17. in initio ad vers. 3. Quare idem Theodor. & ex eo Salianus censent Achaz filios non cremasse, sed traduxisse tantum per ignem, quod etiam significat verbum *lustravit*, quo utitur Scriptura. Nec aliter arbitrandum: quis enim credat Regem quantumvis ex legem & sacrilegum nullam prolem sceptro reservasse, sed omnes igni devorandos tradidisse? Certè Scriptura hoc asserentem mendacem faceret; ait enim inferius ad locum citatum lib. 2. Paralip. vers. 7. *Occidit Zechari vir potens ex Ephraim Maasiam filium Regis & Ezriam Ducem domus ejus, idest Achazi Regis.* Ex quibus stat quod ibidem dicitur versu ultimo, quod *Regnavit Ezechias filius ejus pro eo.*

**XXVII.** Nec nos angit quod videtur Possino & Bollandando abiurdum, nempe quod si

Ezechias esset verè filius Achazi, oporteret ut natus fuisset ex novennis pueri petulanti supra ætatem libidine & quidem fornicariâ. Viderunt enim ante Possinum & Bollandum hanc difficultatem benè multi, eamque satis enodarunt ut nihil cogat ad novam illam opinionem ab eis noviter cusam cum tali detorsione verborum Scripturæ recurrere. Viderunt & responderunt Cardinalis Cajetanus, & Sanchez apud Cornel. à Lapide in lib. 4. Reg. cap. 18. Barradius in Evang. tomo 1. lib. 5. cap. 4. Gaspar Sanctius ad cap. 3. lib. 3. Reg. num. 12. P. Paludanus Augustinianus, Doctor & Professor Lovaniensis in sua Chronologia & Concordiâ temporum Regum Juda & Israel, tract. 4. c. 15. n. 7.

Sed his omnis eorum omnium Antecessorem & Ducem lubet audire Solem Interpretum Sacræ Scripturæ Divini Hieronymum epist. 132. quæ est ad Vitalem, ad cuius Scholam non erubescunt Patres Possinus & Bollandus venire, ut nobiscum audiant quid hæc super re tentiat tantus Doctor, qui non putavit torquendum sensum Scripturæ germanum ut hanc vitaret difficultatem: sed eum sensum religiosè veneratus defendit, remque sicut sequitur ex ejus scriptis loco citato de verbo ad verbum explicavit.

Ita ergo ille ibi. *Quis crederet mortuum salium quod undecim annorum puer generares filium? multa & alia dicuntur in Scripturis, quæ videntur incredibilia & tamen vera sunt: neque enim valet natura contra naturam Dominum, aut potest vas figulo dicere quare me ita fecisti, aut ita? Licet quod pro miraculo, signo, aut portento sit, legem naturam facere non possit. Num. quia nostra ætate duplex Lydda natus est homo duorum capitum, quatuor manuum uno ventre & duobus pedibus, omnes homines ita nasci necesse est? Legimus veteres historias, & maxime Græcas & Latinas, & invenimus lustralibus hostiis secundum errorem veterum portentosas soboles tam in hominibus, quam in armentis ac pecudibus expiatis. Audivi, Domino teste, non mentior, quedam muliercula cum expositum nutriret infantem, & instillaret cibos, ac nutritiis officio fungeretur, subaretq; cum ea parvulus, qui usque ad decimum*

decimum jam pervenerat annum, accidit, ut plusquam pudicitia patitur se mero ingurgitaret; accensam, libidine obscænis motibus ad coitum duceret infantem. Prima ebrietas alterius noctis & caterarum deinceps fecit consuetudinē: Necdum duo menses fuerant evoluti, & ecce femina uterus intumuit. Quid plura? Dispensatione Dei factum est, ut quæ contra naturam simplicitate parvuli in contemptum Dei abutebatur, à natura Domino proderetur, impleto sermone quo dicitur; Nihil occultum quod non reveletur: simulq; consideremus quod occultè Scriptura Salomon & Achaz voluptatis & impietatis accuset: Vterque enim cum esset de stirpe David recessit à Domino, & alter in tantum secutus est libidinem us septuaginta habuerit uxores & trecentas concubinas & adolescentulas, & sortis passim quorum non erat numerus. Neglectoq; Deo Patrum suorum extruxerit Idola Gentium plurimarum, & fuerit non ut prius Deditia, idest amabilis Domini, sed amator mulierum. Alter auferit ad Regem Assyrorum mittere auxilium postulans, &c. .... Ex quo perspicuum est à parva ætate libidini deditos, immatura eorum sobole demonstrari, quod etiam in eò tempore peccare cœperint quo natura non patitur. Ad summum illud dici potest quod in Regno David Salomon cum duodecim esset annorum solium Patris obtinuerit: & postea (quia Scriptura reliquit incertam) vixerit David, regnante jam filio, aliquot annos qui sibi & non Salomoni imputentur. Mortuo autem Patre, postea filius regnavit annis quadraginta quibus sine parente regnavit: Atque ita & initium Regni Salomonis, & tempus quo solus ipse regnavit ab historia demonstratum. Nec tamen omnes annos vite illius quinquaginta tantum & duorum annorum circulis contineri. Sin autem dubites quod regnantibus filiis, patribusq; viventibus, non filii tempus regni eorum sed parentibus imputetur: Lege ipsum Regnum volumem, & invenies quod Ozias Rex Iudæ postquam percussus est lepra, habitavit in domo separata, & filius ejus Ionathas imperium rexit, judicaveritq; populum terra usque ad diem mortis Patris sui. Et tamen post mortem illius cum esset viginti quinque annorum sedecim annis regnasse dicatur quos solus ipse regnaverit. Quod de Salomone intelleximus, & de Achaz simili-

ter intelligendum est, qui Iotha filius, Ezechia Pater fuerit. Audivi quendam Hebræum, huiusmodi narrare fabulam juxta prophetiam Isaiæ, quam inter decem visiones nuper interpretatus sum quod mortuo Achaz Philistæa latas sit, & Scriptura postea comminetur ac dicat: Ne lateris Philistæa omnis tu, quoniam comminuta est virga percussoris tui. De radice enim colubri egredietur Regulus, & semen ejus absorbens volucrum. Hoc est de Achaz constituetur Rex Ezechias: ex quo intelligi voluit, non statim post mortem Patris, filium imperio subrogatum, sed vel seditionibus populi, vel quibusdam inter se Regnis (idest Iudæa ac Samaria) discordantibus, aut certè præmentibus malis, & hinc inde consurgentibus bellis Regnum ejus fuisse dilatatum. In rebus obscuris diversas ponimus opiniones ut non tam scribere quam loqui videamur, &c. Hæc D. Hieronymus.

Ubi quatuor argumentis conficit XXX.  
Sanctus Ecclesie Doctor verum esse, quod incredibile volunt Possinius & Bollandus, Ezechiam verè esse filium & verè genitum ab Achaz, ut dicitur lib. 4. Reg. cap. 16. num. ultimo, & 18. num. 1. & lib. 2. Paralipom. cap. c. 28. n. ult. & Matth. c. 1. Esto Achaz non fuisset nisi undecim annorum ex supputatione ipsius, ut credo meliore, quam illa Possini & Bollandi.

Primò quidem quia licet hoc videatur XXXI.  
tur insolitum, sunt & alia multa non minus rara, & quæ videntur æquè creditu difficilia, quæ tamen vera esse nullus dubitat: nec enim legem natura facere potest, ut nihil in ipsa præter ejus consuetum tenorem evenire possit, ut patet in portentosis factibus, tam in hominibus quam in armentis.

Secundum argumentum ducit Sanctus Doctor ab exemplo mulierculæ nutriticæ impudicissimæ infantis expositi, quæ ex alumno decennii in libidinem suam pertractato concepit.

Tertium, ex eò quod fieri potuit ut XXXIII.  
Achaz crebris cladibus quæ referuntur in suâ historia lib. 4. Reg. cap. 16. fractus ac pertæsus, sibi adhuc vivens subrogarit filium suum Ezechiam, quodque anni quibus vivente patre gubernavit non numerentur, quia gubernabat

nabat nomine Patris, sed tunc primum incipiant numerari à Scripturâ cum factus ætatis viginti quinque annorum, mortuo Patre regnavit nomine proprio, quemadmodum Salomoni contigisse probat respectu Patris sui Davidis, & Joathano respectu Patris sui Ozie leprâ ob usurpatum Sacerdotale officium divinitus percussu.

**XXXIV.** Quartum, ex eo quod potest contingere, quod Ezechias non statim post mortem Achaz patris sui in ejus locum subrogatus sit Regno ejus, vel seditionibus populi, vel Regnis Judæ & Samariæ inter se discordantibus, vel præmentibus malis & hinc inde consurgentibus bellis dilato, prout fas est opinari ex Historiâ Achazi 4. Reg. c. 16. Quod confirmatur ex eo quod constat Scripturam silentio præterire Inter-regna que tamen subinde intercurrisse probat Doctissimus Paludanus Augustinianus citatus initio hujus Sectionis: quæ omnia debuissent sufficere PP. Possino & Bollandus, nisi nova vel saltem non vulgaria magis placuissent.

**XXXV.** Confirmatur: Cum enim Sacra Scriptura lib. 4. Reg. cap. 16. vers. 2. & 2. Paralip. cap. 28. v. 1. dicat Achaz fuisse viginti annorum cum regnare cepit, & quod sedecim annis regnavit, manifestum est quoque ipsum fuisse triginta sex annorum quando cessavit vivere & regnare. Cum ergo Ezechias esset 25. annorum quando regnare cepit attestante eadem Scripturâ, lib. 4. Reg. cap. 18. v. 2. & lib. 2. Paralip. c. 29. vers. 1. De tractis his viginti quinque ex istis triginta sex vitæ patris sui Achaz, remanent pro Achaz undecim anni toti, ex quibus si demamus tempus quod fuit Ezechias in utero matris scilicet novem menses ad summum, poterunt enim, ut in aliis non raro contigit, fuisse tantum septem, remanent anni decem & menses tres vel quinque, ut ergo credatur Ezechias filius verus & carnalis Achaz, non est necesse ut credatur fuisse ex novennis pueri libidine, ut aiebant Possinus & Bollandus.

**XXXVI.** Potuerunt tamen Possinus & Bollandus descendisse à decem illis annis & tribus vel quinque mensibus quos invenimus in Achaz ad suum novennium

dicendo Scripturam asserentem Achaz fuisse 20. annorum cum regnare cepit, sedecim annis regnasse, intelligendam non de annis completis, sed tantum inchoatis, ita ut cepit regnare cum incepisset annum ætatis vigesimum, & desierit regnare incepto decimo-sexto Regni, quo pacto rescindi poterunt à nostrâ supputatione superiori à qualibet ex duabus istis partibus octo vel novem menses, & sic ab utraq; sedecim, septemdecim vel octodecim imò amplius menses.

Sed ad hoc respondeo, cum ista explicatio traheret absurdum, non esse tolerandam: Secundò, si hoc Bollandus & Possinus se posse facere putent ut novam tuam opinionem nimis adhuc ex aliis imbecillum fulciant: cur non Patres & cæteri nobiscum sentientes æquè imò melius & justius dicere possint, è contra Scripturam in utroque membro annorum Achaz, referre tantum annos completos & tacere incompletos, quos ascendere facient ad totidem menses, quot Possinus de expressis in Scripturâ annis detrahenda det? Et annum vigesimum-quintum quo dicitur Ezechias cepisse regnare intelligi de incompleto, ita quod habuerit tantum 24. annos completos & vigesimo-quinto inchoato, fortè uno aut altero mense regnare cepit, quo habito tantum abest ut Achaz non fuerit nisi novennis quando genuit Ezechiam, quin juxta hoc fuit tredecim & amplius annorū, ut etiam antea censuit Tostatus Episcopus Abulensis in lib. 4. Reg. cap. 16. quâ ætate nihil difficile video quod Rex sive Regis filius, aut Regni hæres nupserit & genuerit, ac si fortè fornicariè, quod potuit contigisse in Principe ad libidinem & nequitiam nato, qualis fuit Achaz, quod quam primum ad remedium matrimonii recursum sit pro legitimandâ prole.

Urgebis hoc quidem verisimiliter, **XXXVII** sed utrū hęc supputatio concordabit cum Chronologia temporum Regum Judæ & Israel? Conciliaffe se putat Abulensis Chronologistarum & Interpretum nulli inferior, negabit Possinus, alias sua ei opinio deferenda, quis hanc litem dirimet? Certè in evolvendis istorum

istorum temporum spiritus sudarunt jam aliquot sæculis præclarissima ingenia; alii hæc, alii istac hanc labyrinthum ingressi: sed an ullus feliciter egressus? cum enim mihi indicarint Possinus & Bollandus, si discordet ab Abulensi, ab hoc discedam, non idèò tamen sequar eos in istâ novâ opinione quæ non potest mihi placere ob alias rationes allatas. Sed pro difficultate istâ de annis Achazi quando genuit Ezechiam, recurram ad alias responsiones ex Divi Hieronymi doctrinâ suprâ allatâ cum sacrâ Scripturâ magis coherentem.

XXXIX. Caterùm in eâ obscuritate præstaret suam fateri ignorantiam, & humiliter credere subesse modum aliquem sub quo verum est quod Achaz genuerit Ezechiam, sed adhuc nobis occultum quàm ita detorque verba clarissima sacræ Scripturæ, ut faciunt Possinus & post illum Bollandus.

XL. Ad alterum legalis successionis apud Marthæum exemplum in his verbis, Josias autem genuit Jechoniam & fratres ejus in transmigratione Babylonis, ab iisdem Patribus Possino & Bollandus in confirmationem suæ sententiæ adductum, solutionem habebis infra.

XLI. Probatur ampliùs hæc nostra sententia, quia verba Scripturæ debent semper accipi in maximè proprio sensu, idest litterali, seu quem littera significat, nisi aliter sumere cogat aliqua necessitas: quod fit in nostrâ sententiâ: Nam primò, quoad illud Matthæi *Iacob autem genuit Joseph Virum Mariæ*, ita accipitur ut constat, quia verbum *genuit* ex suâ significatione propriâ omninò importat eum qui ex propriâ substantiâ suâ alium gignit, nihilque potest afferri quod cogat secus accipere, ut ex refutatione Atriæ Montani & Possini suprâ patet: Quoad illud autè Lucæ *Joseph qui fuit Heli*, quod scilicet debeat intelligi de Patre & filio legali probatur efficacissimè, quia ut accipiat propriè debet necessariò significare D. Josephum ita esse & spectare ad Heli ut conferat ad Genealogiam, cum hoc istic agat Lucas: Atqui cum non possit illud intelligi de generatione carnali, hanc enim attigit Matthæus: in nullo alio sensu potest facere ad Gene-

alogiam D. Josephi nisi in sensu substitutionis legalis, ergo in eo sensu accipiendum.

Fateor equidem si simpliciter diceretur D. Josephus filius Heli quod id posset commodè explicari, vel per affinitatem, vel per adoptionem, si hæc locum habuerit apud Judæos, sed in hoc casu ubi ita dicitur filius Heli, ut ab eo incipiendo usque ad ipsum Adam & Deum ejus origo protendatur, ad hoc certè non sufficit affinitas vel adoptio, facit verò substitutio, seu successio nostra legalis Deuteronomii; per illam quippè primogenitus à fratre superstitè in uxore defuncti suscitatus, ita fiebat filius defuncti, ut etiam defuncti semen diceretur: ait enim lex *suscitabit semen fratris sui, &c. ut non pereat nomen ejus in Israël.* Atque hoc ita ut proles taliter procreata non censeretur generantis, sed defuncti: non enim pro se illam generabat, sed pro fratre defuncto, nec suapte & proprio Marte se applicabat, sed à lege Dei, seu verius ab ipso Deo applicabatur ad generandum eum pro illo, & quidem non in quacumque libuisset, sed in hæc à Deo determinatâ, uxore scilicet defuncti, adèò ut non solum terminus istius actionis ex voluntate Dei esset defuncti, verùm etiam ipsa actio generandi, quandoquidem fiebat ipsius nomine, & in suâ uxore, non alio quàm à fratre ex Dei lege, qui volebat hæc ratione suscitari semen defuncto, efficere ne ejus nomen deleteretur ex Israël, & ædificare domum defuncti, ut loquitur Scriptura Deuter. cap. 25.

Hoc modo potuit ne alius excogitari aptior in locum generationis ad Paternitatem & Genealogiam? Si in adoptione etsi aliquis etiam per instrumentum publicum promississet alium habere pro filio, & hic istum pro Patre, non tamen esset adoptio si deesset consensus Principis; illo autem solo adjecto poneretur illa & ejus sequela, ut docent Alexand. consil. 141. in princip. lib. 6. Jaf. consil. 141. in fin. lib. 4. Cardinalis Tuschus, tom. 1. conclus. 214. verbo *Adoptio* num. 9. & alii. Quanto magis, primò voluntas efficax Dei imperantis faciet adoptionem? faciet dico Patrem & Filium? Secundò,

Synopsis

Magnum  
D.  
Josephum  
SV  
1716



Secundò maximè cum non solùm ex lege Dei iste in individuo fiebat filius hominis istius, sed etiam à Deo præciperetur actus quo generabatur pro illo. Tertio, cum fieret per fratrem qui unus censetur cum fratre, frater enim dicitur quasi ferè alter. Quarto, cum fieret in uxore defuncti, quæ erat adhuc caro defuncti in hoc casu: quod ex hoc colligo, primò, quod non erat uxori superstiti liberum cuius nubere, sed tantum fratri quasi alteri ipsi, & hoc quidem, ut in eâ ipsi semen à fratre suscitaretur. Secundò, quod si hic renuisset ipsa injuriam, non suam (per alterum enim æquè proliferari poterat) sed mariti tanquam ad se adhuc pertinentis ulcisceretur per probrosam renuentis discalearionem, &c. unde mihi probabilissimum est quod si defunctus vitæ restitutus fuisset, quod fieri poterat per miraculum, rursus dictæ suæ uxori conjugii debuisset, tum ob iam dicta ut sic esset aliqua æqualitas inter onera viri & uxoris, tum quia si frater in ea & non in alia tenebatur illi semen suscitare quantò, magis ergo ille sibi ipsi?

XLIV. Ex quibus omnibus cum filius ita ex lege ista genitus, esset potius illius cui semen suscitabatur, quam suscitantis; sequitur omninò quod potius revocandus erat ad Genealogiam defuncti quam suscitantis. Cum ergò paternitas & filiatio ex substitutione legali proveniens ita conferat ad Genealogiam, ergò quod D. Iosephus ex gente Judæorum apud Mathæum dictus à Jacob genitus, dicitur apud Lucam filius Heli, debet omninò intelligi de hac filiatio ex substitutione legali.

## CAPUT VII.

*Hæc nostra Sententia omninò retinenda est, nec nisi temerè ab eâ discedi potest.*

I. **R**o hujus Asserti firmamento notandum Traditiones in Ecclesia receptas esse in duplici genere. Aliæ dicuntur Divinæ & Apostolicæ, idest à Christo per Apostolos ad nos transmissæ, quæ ad fidem

pertinent, quæque parem merentur & obtinent quàm Sacra Scriptura fidem: Aliæ dicuntur Ecclesiasticæ quæ à Majoribus nostris ab exordio ipsius Ecclesiæ ad nos usque pervenerunt constantissimè, quæ licet non sint paræ ponderis & authoritatis cum præcedentibus, à fidelibus tamen cum summâ reverentiâ recipi debent & retineri non minùs quàm Decreta & scriptæ Constitutiones Ecclesiæ, cum etiam in Republicâ Civili eadem sit vis consuetudinum approbatarum quæ legum scriptarum, ut patet distinctione 1. ca. *Consuetudo*, & l. *Diuturna*, ff. de legibus.

Dico ergò nostra opinio habet vim Traditionis secundi generis, hoc non attendunt ut oportuit illi qui alias vias conciliandi Evangelistas inierunt; si enim id attendissent, sine dubio nullam aliam tenuissent: in cujus rei probationem profero testimonia SS. Patrum omnium sæculorum, & incipio à Julio Africano Theologo antiquissimo, & temporibus Apostolorum satis vicino, in Epistolâ ad Aristidem, cujus meminit D. Hieronymus de Script. Ecclesiasticis, quem epistolam refert Eusebius Cæsariensis lib. 1. Histor. Ecclesiast. cap. 6. cujus sensum in quaestione tanti momenti ipsissimis ipsius verbis admetiri lubet. *Apud Gentem Israel, inquit, Generationum nomina, nunc secundum naturæ, nunc etiam secundum legis ordinem numerantur: Naturæ quidem successiones habentur, quæ ex feminis vel sanguinis veritate descendunt: Legis autem, cum quis filius alio generante substituitur sub nomine fratris defuncti sine liberis. Cum enim resurrectionis inter eos spes necdum fuisset accepta, per hæc, resurrectionis quandam imitabantur imaginem, uti ne nomen gentis, vitio sterilitatis aboleretur. Cum ergò huiusmodi apud eos generationum ordines servarentur, ut quidam ex ipso germine, quidam ex substitutione ab aliis generati, aliis filii legis beneficio deputarentur, à singulis Evangelistarum utriusque modi commemorata successio est, idest, ut alter eorum eum qui genuisset, alter verò eum qui quasi genuisset videretur exponeret: Et ita fit ut neutrum Evangelium mentiatur, dum aliud naturæ ordinem, aliud verò legis exequitur regulam: Coniunctum namq; sibi est invicem genus*